Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1641
Quelle:
Copyright:

fertur, Fidelibus eorum ossa non dignoscentibus divinitus responsum fuisse: majora Peccatoris, minora vero Piscatoris esse, id, quod receptae de pusilla *Pauli* statura opinioni repugnat.

X. *fol.* 129. p. 2. *Tres questiones* (ita in calce) *de origine iuridictionum quibus populus regitur compilate per fratrem durandum ordinis predicatorum doctorem sacre theologie et episcopum meldensem.* In *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 587. video *Tractatum* nostri, qui a. 1334. obiit, *de Jurisdictione ecclesiastica et de Legibus* editum cum aliis ejusdem argumenti *Parisiis* 1506. 4. qui, nescio, an praesens sit. Interim hic incipit: *Circa originem potestatum et iuridictionum quibus populus regitur aliqua possunt queri. et primo potest queri utrum potestas secularis per quam populus regitur quantum ad temporalia sit a deo. Secundo queritur utrum preter potestatem laicam et secularem sit uel esse debeat alia potestas iuridictionis necessaria uel expediens ad bonum regimen populi. Tertio queritur utrum iste due potestates seu iuridictiones possint concurrere in vna persona. ita quod vna et eadem persona habeat vtramque potestatem seu iuridictionem.* Adfirmantur omnes tres Quaestiones, et argumentis in contrarium adductis respondetur.

XI. *fol.* 136. p. 2. *Incipiunt Articuli parisius condempnati per dominum Stephanum* (Temperium) *episcopum paris. de consilio magistrorum theologie anno domini Millesimo ducentesimo LXXVI°. die dominica qua cantatur* (Laetare) *iherusalem.* &c. Primus est de SS. Trinitate, ut *Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. p. 330. sed non eodem ordine procedunt et numero CCXIX. sunt, adeoque impressos *duobus* superant. Impressi praeterea annum 1277. praeferunt, ut jam alibi hoc *Vol.* notavi. In Codice accedunt *Casus in quibus doctores sacre theologie non tenent opinionem magistri sententiarum dati per magistrum G. de castro Reginaldi* (Château Regnault) *doctorem sacre scripture.* Sunt numero VI. et una cum praecedentibus *Articulis* habentur impressi ad calcem plurium Editionum *Sententiarum Petri Lombardi;* hic vero subnotantur: *Anno domini M° CCC^mo. XXIX. paris. Deo gracias. Frater Guillermus omnes scripsit. Deo gracias.*

XII. *fol.* 140. succedit Συνταγμα Opusculorum Medicorum, et primo quidem: *Incipit liber veritatis ypocratis.* Nihil ejusmodi inter genuina Viri Scripta. XXII. *Prognostica* sunt maximam partem a *Pustulis* desumta, et adsignata plerumque die, qua iis adfectus Aeger moriturus sit. Praeit Narratio: *Peruenit ad nos quod cum ypocrates morti appropinquaret precepit, ut uirtutes iste scripte in hoc libro* (clauderentur?) *in capsa eburnea et ponerentur ipsa cum eo in sepulcro suo, ne aliquis detegeret* &c. Detexisse vero *Caesarem*, nescio quem, Sepulcrum inspicientem. Prodit Veteratorem etiam Clausula: *Explicit Liber a galieno*